

L.88,1.

DE VRBE LI-
PSIA,
CARMEN;
IN HONOREM AM-
PLISSIMI SENATVS,
POPVLIQUE LI-
PSENSIS.

Scriptum à
IOHANNE MAIORE, THEOL.
Doctore, & Poëta coronato.



Lipsia
IMPRIMEBAT ZACHA-
RIAS BERWVALDV S.

Anno

M. D. LXXXV.

IN SIGNIA VRBIS LIPSENSIS.



DE IISDEM CARMEN.

Plenus insertas trino gerit ordine pennas,
Namquis honor in vita provenit artis ope.

VXXXI. C. M.

ars,

*Ars, & honor verè sunt tegmen, & arma virorum:
Hoc galeæ arcanis signat imago notis.
Sed Leo robusti specimen gerit, omnia vincit
Qui res his armis per pia fata gerit.
Altera pars clypei tignis distinguitur aquis,
Justitia aequalem servat ubiqz, vicem.
Quid, quod virtutes de cardine nomen habentes
Ordine distincto fixa columna refert?
Res Urbis Philyra fulcris his obsita floret,
Cui Dux Iustitia est; lux, operosa Fides.*

I. M. D.

ALIVD.

*Pileolus crista fulgens sapientiae imago est,
Doctrina studium quam coluisse iuvat.
Quid Leo? Virtutis robur: quid quinqz columnæ
Quas post se nigri terga leonis habent?
Ex his Virtutes quatuor de cardine dictæ,
Quinta sed est vera religionis amor.
Hæc sunt fulcra, quibus niti Rempubl. oportet,
Si florere cupit, salvaqz stare diu.
CHRISTUS DEI virtus, per quem stant Orbis & urbes
Tu virtute tua protege, nosqz rege.*

C. R. D.

ALIVD.

*Q*vam benè cum forti iunguntur fulcra Leone,
Fulgidus & pennis pileus egregijs.
Nam velut invictus diros Leo savit in hostes,
Firmaqz stat, fulcris qua stabilita, dominus:
Sic ubi virtutis robur Constantia firmat,
Functa qz, præcellit cum pietate Fides;
Dignum est laude: Tot ac tantis quia Lipsia fulget
Dotibus, et merito talia signa gerit.

Ioh. Fr. M.

A 2

CAR-



C A R M E N
D E V R B E L I P S I A.

AECTA nisi condat DEVS, & vi muniat urbes,
Nil labor, aut sumtus, excubiæ q̄ valent.
Tunc probat his autem vim clarā, ac numine
præstō est,
Si pietas, virtus, lex, ratio q̄ valet.
Nam q̄ ideò structas hominum genus egit ad urbes,
Vt res hic sacras hauriat, ille sonet:
Ac alterna simul virtutum exempla darentur,
Fons quarum verè est notio vera Dei.
Gens antiqua hominum sine more, sine ordine sparsa
Vi, non iure sibi rem faciebat agris.
Nemo suam vitam, aut fortunam à clade tegebat,
Flamma sua, & robur, ius erat, atq̄ Deus.
Sed pietas, tanquam radix recti q̄, boni q̄,
Prima vagis urbes, certa q̄ tecta dedit.
Hæc operas, artes q̄ bonas convertit ad usum,
Vita quòd officij ceu vice fulta manet.
Hæc ad naturæ nos claustra recondita duxit,
Et cælesti sua voce reclusit iter.
ERGO quòd in Philyra Pietas, virtus q̄ morantur,
Quæ dant doctrinis, iustitiæ q̄ larem:
Has ego censebor merita cum laude tulisse,
Si Philyram meritæ laudis honore feram.
Pars est iustitiæ verbis ornare merentes;
Nil Deus à nobis vult, nisi laudis opus.

Quando

QVANDO loci positum secat æ quo limite mēnsor:

Hanc aliam à Mysis urbibus esse liquet.

Nam plaga, qua sedē veteres habuere CAMANNI,

Iure suo verum Mysia nomen habet.

De populis Osis ea pars Ositia dicta est

Qua Philyræ extollunt condita tecta caput.

Quæq; duplex fuerat regio, nunc una putatur

Quòd quasi continuæ fædera sedis habent.

Has modò confundit quia iura det unus utrisq;

Gens rudis antiqui, vixq; perita novi.

SED quanto spacio se porrigat ambitus Vrbis,

Non opus est amplos fingere voce sinus.

Sinon Nile tuæ certat cum molibus oræ:

Nec Latia amplexu tecta capace refert:

Plurima Teutoniæ superat tamen oppida cultu,

Et latis vicis, & sine forde foro.

QVI frena histenuêre locis, horum ardua virtus,

Illo quo terra est limite iuncta manet.

Nam qua floruerint producti à stirpe priorum

Qua vi, quo fato, quôve vigore gradus:

Et quibus extulerit se quisq; in rebus agendis:

Notitiam plenè vesper & ortus habent.

Nam qui iura dabant Philyræ, & res huius habebant:

Hi de Saxonia stirpetulêre genus.

Quo vix vel meritis gravius, vel clarior annis,

Vel bona naturæ cerne, vel artis opes.

ET quia res parvas reddit concordia magnas,

Litibus & grandes attenuantur opes:

Aspice quò paucis progressum fecerit annis,
Quòd plebs, & patres sunt in amore pares.

Consensu fieri quædam maiora videmus,
Distractis animis magna perire bona.

Sentit Aristoteles has urbes esse beatas

Quâ virtus factis norma, modusq; venit.
Sed Plato vult illas meliori excellere forma

Quâ sit in alterius iure, quod unus habet.
Socratis ante alias sententia prædicat illam,

Qua sint communes uxor, & inde sati.
Altior his Philyra est, quòd non modò dirigit actus,

Quò dicit virtus, & iubet ire Deus:
Sed quòd honestatis caufsa, pacisq; tuendæ

Discrimen rerum, quas petit usus, habet:
Nempè, nefas summum promiscua nomina dicens,

Has rerum alternas reijcit æqua vices.
Nam res cuiq; suas munit Deus obice legis,

Sancit contractus, furtaq;, vimq; vetat.
Non vult supponi notha pignora, & ordine rupto

Incertum matres de patre ferre genus.
QVID tibi conscriptos referā sancto agmine patres,

Quorum cura sagax digerit Vrbis onus?
Hi fora iudicijs animant, legumq; bonarum

Præfidijs firmant, eloquioq; tegunt.
Non veniæ his locus est, qui legum frena repellunt,

Aut quorum mores, dictaq; crimen habent.
Ipsorumq; gravi ex specie, & de voce magistra

Finitimi pendet ius, ratioq; loci.

Huc

Huc dubia in caussa mittunt, responsa q̄ legum
Ex adyto culti pectoris hausta petunt.
Vtq; aquilæ pennis sese alta ad nubila tollunt,
Nec ceu Pica loquax se prop̄ rura tenent:
Sic sacer ordo patrum dans iura ad flumen Elistri
Notitiæ argutæ laude sub astra volat,
Nec de plebe vaga legitur, cui sordida fors est,
Sed varia exultis constat ab arte viris.
Vix alia specie patrum spectabilis ordo
Ius in Cecropia reddidit urbe suis:
Aut isti proceres, quos vico Martis Athenis
In cauissis capitis constituisse ferunt.
ET quia cultorum numerus decus urbibus addit,
Quod probat has nixas legibus esse bonis:
Vix huic Teutonia similis reperitur in ora
Maior ubi sedes copia plebis habet.
Non tam vasta loci spacio est, ac barbara Memphis,
Qua genera artificum multa feruntur ali:
Agmina sed gentis, cui morum cultus & ardor
Iustitiæ est, illic remq; laremq; colunt.
Hic viget officium & modus: hic reverentia legum,
Iudicium, ratio, fas, pudor, ordo, fides.
Est color, & species, & forma æquabilis Vrbis,
Est rectis studijs, ingenijq; locus.
Huc sua doctrinæ caussa vestigia flectunt,
Cærea ceu densæ castra sequuntur apes.
Atria nam tollunt molem, quæ condita Musis
Linguarum resonant fertilitate trium.

Artis & omne genus proponitur ordine recto

Quæ vitæ, aut usum relligionis habet.

Hi caussas orant: radio illi sidera cæli

Describunt: alij fasq; piumq; sonant.

Qui præsunt studijs, sunt vivum exemplar honesti,

Ac ornant vitæ cum gravitate gradum.

Quos & in officio retinet coniuncta voluntas

In recti studio, flagitijq; fuga.

Suntq; animi faciles populi cum gente perita,

Vnum quos una fædus in urbe ligat.

Pulcrius in vita nihil est, quam flectere vitam

Artibus ut mores convenienter eant.

I N S T I T O R & varias res huc vehit orberemoto,

Corporis ad cultum, subsidiumq; satas.

Quiq; dapes acri commendant sorte sapores,

Et sensu afficiunt commodiore gulam.

Hæc speciem veteris censetur habere Corinthi,

Tam variæ in promtu semina mercis habet.

Eq; locis multis ter in uno convenit anno

Vsibus hæc redimens extera turba suis.

S E D me fæmineum verbis extollere sexum,

Quod sit in hoc pietas, gratia, forma, pudor:

Obstat lingua procax, prohibetq; modestia vatem,

Nec genus hoc, nimia est ut bonitate, sinet.

Nec ficti studium est, nec venam tempora versant,

Ad me quo redeat gratia, sive lucrum.

Quisq; Dei ad cultum tamen, & rem iure parandam,

Ceu sua fert ratio, fingit in Vrbe suos.

Ocia

Ocia non dantur, nisi concio sacra requirat,
Cura precum, aut superūm laus, & honesta quies.
SED quas fama virūm celebris non attigit aures?
Seu bona fortunæ, seu bona mentis ament.
Cælifer hos Atlas novit, Thuleq̄ remota,
Siq̄ remota magisteria sub axe iacet.
Non opere in parvo tot ponere nomina fas est:
Hos melius virtus, quām mea verba vehent.
CVMQVE solo eductæ moles propè sidera tangant,
Et tegat Vrbstuto remq̄, gregemq̄ sinu:
Publica coetilibus surgunt tamen atria saxis,
Et testudo suas cuiq̄ recondit opes.
Continuaq̄ lares serie fastigia vibrant,
Et structura pari tollit honore caput.
Arte solum factum, & limi compagine stratum est:
Terga domus fictis vultibus ornat opus.
Sunt nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Et vivæ è scatebris eliciuntur aquæ.
ADDE, quòd & pubes studijs est prædita belli,
Et vis in vegeto Martia corde sedet.
Tum variæ armorum species servantur ad usum,
Quas utinam æterna pax premat alma sera.
Agger ad incursus præfixa repagula ponit,
Hostis & accessum fossa profunda negat.
Obsita præsidijs loca vim de mænibus arcent,
Eructatq̄ graves ænea canna globos.
Nanq̄ imitans fulmen magno iacit impete glandes,
Quas niger ex nitro, & sulphure pulvis agit.

Cùmq̄

Cumq; virum manus ad muros se advolveret olim:

Non Vrbs à domini cessit amore sui.
Inq; fide mansit, licet anceps alea Martis

Distrahere in partes vulgus inane solet.

Sed præstat veteris reticere incommoda secli,
Quam voce offensam conciliare novam.

Nec petit hac laudes ex parte, quod arbiter orbis
Pacis amatores pacis amator amat.

Et velut æs fulvum præstat virtute metallis:
Sic pax est palmæ semper honore prior.

Estq; viri fortis compescere pectoris æstum,
Publicaq; ut pax sit, cedere iure suo.

Nec sibiturpe putat vel & ære parare quietem,
Netemerè in cladem se, populumq; vocet.

Non belli, aut cædis dedit unquā ad crima caussam,
Nec nisi res patriæ sicut tulit, arma tulit.

CVMQ; VE Plato hanc Vrbem ferat omni ex parte
Qua ratio est morū regula: caussa Deus: (beatam

Ante alias felix Philyre censebitur urbes,
Flectit ubi mores gens ratione suos.

Non gerit effrenes animos, sed simplice cultu
Frons, & vox placidi signa leporis habent.

Pallas enim hic sedem tenet, & facit arte peritos;
Hinc hominum mores asperitate carent.

Externisq; viris dant mensæ, ac liminis usum,
Et mittunt studij pignora larga sui.

Nanq; in eos urbs clara gradus ascendit honorum,
Subsidio afflictos unde levare queat.

Quæq;

Quæcūq; Dei ad cultum, & virtutum ad semina spectant;
Curæ, rem populi qui moderantur, habent.
Finxit ad hoc Deus hanc naturam, ut conscientia metas
Officij antē homines servet, & antē Deum,
Quācūq; Dei metus est, amor illic iungitur æqui,
Quod reddit scitum pectus in arte fori.
Hæc hominum cætus monet æqua lance tueri,
Distribuens partes ordine cuiq; suas.
Iustitiæ caussa sapientia condidit urbes,
Vt leges homines, sanctaq; iura ligent.
Quid sine iustitia sunt rex, & regna? latrones,
Colluvies, pestes, furta, rapina, furor.
Quid sine luce Dei sunt regna, nisi area quædam,
In qua sunt hominum nomina, facta feræ:
Prædonum stabula, & polluti forma macelli,
Porticus ad corvos, antraq; sæva lupi:
Aut Lamiæ nidus, quā res, sanguisq; colonis
Ebbitur noctu, digeriturq; die.
Massiliam, & paucas aliquot laus prædicat urbes,
Quòd sit in his æqui cultus, & artis honos.
Laus Philyræ has superat, quia custos sedula morum
Æquo rem populi more, modoq; regit.
Cælestemq; sonans per conscientia pulpita vocem
Tegmina doctrinæ præbet amica sacræ.
Artis & omne genus, quiq; artis semina tradunt,
Afficit hæc cultu, req; fideq; fovet.
Iustitiæ, & morum schola, virtutisvè palæstra,
Vtq; vna includam cætera voce, pia est.

SI



SI reliquum ornatum, & villas, ac prædia spectes:
Dixeris h̄ic uno cuncta coisse loco.
Nam Tyriam præstat mutandis mercibus urbem,
Vrbem Cecropiam moribus, arte, situ.
Et fuit hæc pulcris Vrbs semper dedita rebus;
Inventrixq; operum, & laudis amore flagrans.
Et quæcunq; aliquo virtutis nomine fulgent,
Hæc illa antè alias ingeniosa colit.
TE luis horrendæ contage, metuq; solutam
Pax alat, & grando copia larga sinu.
Te pietas hominum, non vallum, aut robora servant,
Et quod es, ac flores, muneris omne Dei est.
Dumq; larem Musis tribues, Christoq; receptum:
Laus erit ex Musis, ex pietate salus.
Vtere pace diu, populos quæ fulcit, & urbes;
Pax fulcrum est, pietas robur, & arma Deus:
Vt quibus exorta es caussis, serveris ab ijsdem,
Servari æternum quam pia fata volunt.

F I N I S.


I. M. D.

Laus Deo.

X 2206955

Farbkarte #13


B.I.G.



L.88,1.

**DE VRBE LI^PSIA,
CARMEN;
IN HONOREM AM-
PLISSIMI SENATVS,
POPVLQVE LI-
PSENSIS.**

Scriptum à
**IOHANNE MAIORE, THEOL.
Doctore, & Poëta coronato.**



**Lipsiæ
IMPRIMEBAT ZACHA-
RIAS BERVVALDV S.**

Anno

M. D. LXXXV.

